

## Jan Milič of Kroměříž

Sermo de sancta Elyzabeth<sup>1</sup>

<I> *Sedeo ut regina et vidua non sum, et luctum non video* etc. Apok. 18 (7). De sancta Elyzabeth regina et vidua sermo contexitur, et quia ecclesia sancta et regina est et vidua, necesse est videre quomodo sicud eunuchos habent regine, sic vidue habent procos. Eunuchi regine ecclesie sunt predicatores, qui se propter verbum Domini castraverunt.<sup>2</sup> Procos autem eademque vidua et regina subintrare permittit, dum bonis predictoribus pseudopredicatores vel predicatores ypocritas frequenter sinit esse permixtos, quod ipsa veritas in ewangelio insinuans patefecit dicens, Math. 23 (14):<sup>3</sup> *ve vobis scribe et pharisei [hypocrite], qui commeditis domos viduarum in oracione longa orantes.* Super quo dicit Crisostomus: sexus mulierum incautus est, quia non omnia, que videt et audit cum ratione considerat; [mollior] eciam est, quia facile flectitur vel de malo in bonum, vel de bono ad malum; virilis autem sexus et caucior et durior est, propterea simulatores sanctitatis circa mulieres maxime negotiantur, quia nec intelligere eorum simulaciones possunt, et facile ad eorum dilectionem religionis accidunt, precipue tamen {257ra} circa viduas negotiantes; primo quidem quia mulier non facile decipitur habens consiliarium virum, deinde non facile de facultatibus suis aliquid dant, cum sint in potestate viri. Propterea ergo Dominus iudaicos sacerdotes confundit nobis insinuans, ut [nos] a talibus ypocritis caveamus. Ne ergo nos tales predicatores simus, et ut [nos]<sup>Hiba! A könyvjelző nem létezik.</sup> a talibus caveamus, ad ipsam veritatem, que illis hoc improperat, properemus, et precipue ad virginem gloriosam gracie matrem, ut nobis hanc graciā impetrare dignetur, quod ut facilius assequamur, salutemus eam omnes dicentes *Ave Maria.*

<II> *Sedeo ut regina et vidua non sum, et luctum non videbo*, loco et capitulo ubi supra. Tria precipue sanctam viduitatem exornant, que fuerunt in beata Elizabeth:

<II.1> primum est vite sanctitas;

<II.2> secundum est temporalium largitas;

---

<sup>1</sup> Base ms.: W = Wien, NB, lat. 3661. ff. 256v-261v. Collated ms.: P = Praha, Národní Knihovna, I D 37, ff. 248rb-251ra.

<sup>2</sup> Cf. Mt, 19, 12: “Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt; et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum”. I owe this reference to Frank Schaer.

<sup>3</sup> Vulg.: “Vae vobis scribae et pharisaei hypocritae, quia comeditis domos viduarum, *orationes longas orantes!*”

<II.3> tertium est victus sobrietas;

<II.1> Primo in vidua debet esse sanctitas, ut sit continens, quia viduitas virginitati non inmerito comparatur, sicud dicit Ambrosius, primo libro de viduis in principio: neque enim inhonoratas viduas debuimus preterire, et a virginum preconio separare, quas apostolica sentencia cum virginibus copulavit dicens, I. ad Corinthios 7. (34): *et mulier innupta et virgo cogitat, que Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Quodammodo enim magisterium {257rb} virginitatis viduarum valescit exemplis. Que cum viro castum cubile custodiunt, documento sunt virginibus integritatem Deo esse servandam. Et prope modum non inferioris virtutis est eo abstinere coniugio, quod aliquando delectaverit, quam coniugii delectamenta nescire. In utroque fortes, ut eas et coniugii non peniteat, cui fidem servent, et coniugalia oblectamenta non alligent.<sup>4</sup> Idem super primam epistolam ad Thimotheum: Ne dixeris: ‘Sola sum’. Castitas solitudinem querit; pudica secretum, in pudica conventum. Patrimonium vis tueri. Maius pudoris est patrimonium, quod melius regit vidua, quam nupta. Servus peccavit. Ignosce; melius est ut culpam alterius feras, quam tuam prodas.<sup>5</sup> Precipue tamen in conversacione vidue castitas attenditur ut *discat domum suam* (I. Tim 5,4) pie tractare *in bonis operibus testimonium habeat, si filios educaverit, si pauperes hospicio receperit, si sanctorum pedes laverit* (I. Tim 5, 10).<sup>6</sup> Amissi coniugis dolor, usus operis, domus cura, sollicitudo liberorum, que solet [noxiam] arcere lasciviam, lugubris habitus, fletus assiduus et [meste] frontis inarantibus rugis impressa tristitia, ut petulancium premat oculos, restringat libidines et procaces avertat aspectus.<sup>7</sup> Cui esse debet, secundum Ambrosium libro primo de viduis parte prima, diversorum in templo, colloquium in prece, vita in {257va} ieiunio,<sup>8</sup> *non minus* quam *sexaginta annorum vidua eligatur, que fuerit unius viri uxor* (I. Tim 5, 9), non quod senectus sola viduam facit, sed quod viduitatis merita sint stipendia senectutis<sup>9</sup>; talis habebit ieiunium pro ludo, oracionem pro deliciis,<sup>10</sup> et benedictionem a Domino reportabit, iuxta illud psalmi (131, 15): *viduam eius benedicens benedicam, pauperes eius saturabo panibus;* lugeat ut castitatem conservet, bonus custos pudoris est pietatis dolor.<sup>11</sup>

---

<sup>4</sup> AMBROSE, *De viduis*, 1, 1, ed. F. GORI (Biblioteca Ambrosiana, 14/1).

<sup>5</sup> Ibid., 9, 57-58.

<sup>6</sup> Ibid., 2, 7-11.

<sup>7</sup> Ibid., 8, 51.

<sup>8</sup> Ibid., 4, 22.

<sup>9</sup> Ibid., 2, 9.

<sup>10</sup> JEROME, *Epistulae*, LIV, 13.

<sup>11</sup> AMBROSE, *De viduis*, 8, 51.

<II.2> Secundo in vidua debet esse temporalium largitas, sicut fecit illa vidua Sareptana de qua dicitur, 3. Regum 17. (9-16), quod cum fames terram urgeret, fecit Helye subcinericum panem, exponens se morti cum filio, quia dedit Helye et non sibi nec filio. Super quo dicit Ambrosius libro primo de viduis, parte prima: vide quomodo propria signaculis gracia reservetur: angelus ad virginem, propheta ad viduam destinatur. Ille Gabriel, hic Helyas, ut ex angelorum et prophetarum numero prestantissimi principes videantur electi.<sup>12</sup> Sic illa ewangelica vidua duo minuta in gazophilacium mittens, aliis omnibus, teste Domino, est prelata non eciam mediocris laudis. Ita vidua Noemi, que Ruth suam nurum sic inbuerat probitate, ut de largitate eius eam de alieno agro nutriret; et sic Noemi susciperet subsidium senectutis et stipendum magisterii, mercedem quoque caperet {257vb} discipline,<sup>13</sup> sic Ruth aluit inopem, solata merentem, nec ab ea dimissa discessit;<sup>14</sup> sic Noemi invenit meroris solacium et subsidium paupertatis,<sup>15</sup> vidua egere non novit<sup>16</sup> maxime si laborat, sicut canitur de beata Elizabeth: apprehendens fusum manuum consilio victus querit usum, in gazophilacium vidua Elizabeth cum vidua ewangelica totum mittens precium.<sup>17</sup>

<II.3> Tercio in vidua debet esse victus sobrietas, unde et Iudith vidua si bibisset vinum cum Oloferne ebrio, forte fornicata fuisset, sed quia sobria semper fuit, ideo ebriosum exercitum sua sobrietate vicit. Delicie enim viduis sunt mortales, sicut dicit Apostolus, prima ad Thimoteum 5 (6): vidua *que in deliciis est vivens mortua est*; super quo dicit sanctus Ambrosius: quisquis putat se in Christo deliciis vitam agere, minime innocens perseverat; luxuria enim illum trahit ad sua membra, ut subiciatur peccato; delicie enim ianue sunt peccati.<sup>18</sup> Tales multa pericula incurunt, dum secundas nupcias contrahunt. Sicut declarat Ieronimus de tribus viduis in libro contra Iovinianum, que fuerunt romane et post viros suos alios recipere noluerunt; quarum una, dicebatur Marcia Kathonis, que interrogata, quare secundum non acciperet virum, respondit se non invenire virum, qui vellet eam accipere propter se, sed propter {258ra} suam [fortunam], quia erat turpis et dives. Secunda dicebatur Valeria, que cum rogaretur, ut secundum virum acciperet, respondit se facere non posse, quia vir suus non erat mortuus, sed vivus, id est quam diu ipsa viveret, vir eius in corde eius pariter secum vivebat. Tercia dicebatur Emilia, que cum a parentibus urgeretur, ut secundum virum

---

<sup>12</sup> Ibid., 1, 3.

<sup>13</sup> Ibid., 6, 33.

<sup>14</sup> Ibid.

<sup>15</sup> Ibid.

<sup>16</sup> Ibid., 6, 34.

<sup>17</sup> Rhymed office *Laetare Germania*, second nocturn, first responsory, AH, vol 25, no. 90, p. 254.

<sup>18</sup> AMBROSIASTER, *Commentarius in epistulas Paulinas*, ed. H. J. VOGELS (CSEL, 81/1-3).

acciperet, eo quod iuvenis et dives esset, respondit hoc se facere non posse, qua bonum virum amiserat, et ideo si secundum acciperet, aut ille esset bonus, aut malus; si bonus, semper esset in timore ne perderet ipsum, si malus, semper esset in dolore eo, quod post bonum virum malum invenisset.<sup>19</sup> Sancta ergo Elizabeth sicut nexu coniugii data viro socia, suave iugum Domini tulit ab infancia,<sup>20</sup> et decenter vixit cum viro, sic post virum suum mortuum alium virum nescivit, nisi Christum; prodiga manu cuncta, que habuit egenis largiens, delicias fugiebat, sed se ipsa forcior seseque sublimior se sibi subegit, spiritumieiunio, carnem sub cilicio iugiter castigans<sup>21</sup>; non dixit hic vivens: *sedeo ut regina, vidua non sum, et luctum non video*, quia poterat post virum suum regnare in mundi deliciis, sed noluit, pocius voluit lugere pro suis et aliorum peccatis ut vidua ad hoc, ut de viduitate carnis post hanc vitam a Christo susciperetur {258rb} in regnum.

<III> Ideo nunc potest dicere: *Sedeo ut regina et vidua non sum, et luctum non video*, que fuerunt verba vestre karitati proposita. In quibus quidem verbis tanguntur tria:

<III.1> primo tangitur sancte Elizabeth vel ecclesie nos gubernantis auctoritas honorata, et hoc ibi cum dicitur: *sedeo ut regina*;

<III.2> secundo tangitur in verbis propositis eiusdem sancte Elizabeth vel ecclesie destitucionis orbitas iam sublata, et hoc ibi cum subditur: *et vidua non sum*;

<III.3> tercio tangitur eterne pene acerbitas relegata, et hoc ibi cum concluditur in verbis premissis: *et luctum non video*.

<III.1> Quantum ad primum, auctoritas sancte Elizabeth vel ecclesie sancte exprimitur, cum dicitur: *sedeo ut regina*. Ecclesia enim sancta et si appareat vidua, quia Christi ei presencia corporalis in ascensione est subtracta, sacramento altaris salvo, tamen regit domum suam auctoritate regali. Sicud de vidua Debbora exemplificat sanctus Ambrosius libro primo de viduis, parte tercia, dicens: Cognoscite Debboram cuius vobis prodidit scriptura virtutem. Hec enim docuit non solum viri auxilio viduas non egere, verum eciam viris esse subsidio. Cum enim iudei eius regerentur arbitrio, quia virili non poterant vel equitate regi vel virtute, nec defendi bellis hinc inde mergentibus, eam sibi, cuius regerentur iudicio, cooptarunt. Itaque multa milia virorum una vidua et in pace rexit et ab hoste defendit. Multi iudices in Israel, sed

---

<sup>19</sup> JEROME, *Adversus Iovinianum*, I, 46, PL, vol. 23, col. 288; the explanation that Marcia was “ugly and rich” does not stem from Jerome, it was added by Milič or his immediate source; in Jerome’s text *Emilia is Annia*.

<sup>20</sup> Rhymed office *Laetare Germania*, first vespers, first antiphon, AH, vol 25, no. 90, p. 253.

<sup>21</sup> Ibid.

nulla ante inter {258va} iudices femina; multi iudices post Iesum, sed nullus propheta. Et ideo lectum ipsius esse puto iudicium et gesta eius esse descripta, ne mulieres a virtutis officio muliebris sexus infirmitate revocentur. Vidua populos regit, vidua dicit exercitus, vidua duces eligit, vidua bella disponit, mandat triumphos. Non ergo natura est rea culpe, nec infirmitati obnoxia: strenuos non sexus, sed virtus facit.<sup>22</sup> O vidua non vidua. Ecce plerique iudices in pacis tempore peccaverunt et in Israel scandalum posuerunt, tu in pace servas virtutis insignia, in bellis et adversitatibus Chananeorum precipue ostendis bellorum exercicia virtuosa, non ditas domum tuam publicis copiis, sed de domo tua eruditum emittis filium, communis populi et rei publice gubernatorem pariter et victorem. quem quasi mater erudiit, quasi iudex preposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetissa victorie certe transmisit.<sup>23</sup> Denique in huius vidue manu summam fuisse victorie docet barach filius eius dicens: nisi tu veneris mecum, non ibo. O quanta mulieris huius virtus vidue, cui dux exercitus sue virtutis supponit insignia, ut non speret victoriam nisi per eam.<sup>24</sup> Sic Debbora prelii prophetavit eventum, Barach iussus produxit exercitum, Iohel cepit triumphum. Ibi Ambrosius, referens ad ecclesiam, hanc materiam subdit: hinc prophetes Debbora militavit, que mistice nobis ortum surrecture ex gentibus {258vb} ecclesie revelavit, ut nobis triumphus de Syzara spiritali, id est de adversariis, daretur. Nobis ergo prophetarum oracula et arma vicerunt.<sup>25</sup> Frequenter enim oracionibus et meritis prophetarum celestia patribus affuere subsidia; et subdit: principium victorie de maioribus, finis in ecclesia.<sup>26</sup> Ecclesia autem non armis secularibus vincit adversarias potestates, sed armis spiritalibus, que sunt forcia Deo ad destruendas municiones et altitudinem nequicie spiritalis. Et ideo Zysare sitis lactis poculo [restinguitur], quia ratione superatur; quod enim nobis salutare ad escam, hoc adversarie potestati letale ad infirmitatem. Arma ecclesie oracio est, qua adversarium vincit. Ergo secundum historiam ad provocandos animos feminarum femina iudicavit, femina bella disposuit, femina prophetavit, femina triumphavit et preliaribus intermixta copiis imperio viros docet femina militare.<sup>27</sup> Hec Ambrosius. Beata ergo Elyzabeth quam auctoritative regebat proximos subditos suo exemplo hinc apparet, quia secum frequenter pugnabat et sic regebat suum corpus, ut nullus perversitatis ad eam esset accessus, et ita mundum et spiritus malignos vincebat. Unde sicud Hester ieunans et austera vitam ducens vicit Aman et Iudith Olofernem, et suum populum

---

<sup>22</sup> AMBROSE, *De viduis*, 8, 43-44.

<sup>23</sup> The section from “O vidua” is a paraphrase in second person singular of AMBROSE, *De viduis*, 8, 45.

<sup>24</sup> Ibid., 8, 46.

<sup>25</sup> Ibid., 8, 47.

<sup>26</sup> Ibid., 8, 48.

<sup>27</sup> Ibid., 8, 49-50.

liberavit, sic de ista cantat ecclesia: Aman in patibulo eum Hester appendit / {259ra} Holofernis dexteram in capud extendit / et suum a periculo populum defendit; / manum mittens ad forcia, / sic vicit innocencia.<sup>28</sup> Vide ergo, ecclesia, sancta huius vidue mulieris auctoritatem regiam, qua hostem invasit antiquum! Nam sic de ipsa cantamus: hoc pugnatura stadio/ mente virum induit/ femur cingens gladio. Et premittitur: o mirandam mulieris, / huius fortitudinem, / que in se vite veteris / sic occidit hominem, / et potestatem aeris / vertit in formidinem.<sup>29</sup> Exultet ergo vox ecclesie, / nam capud superbie / Elizabeth contrivit, / que non exaudivit / vocem exactoris<sup>30</sup> dyaboli, sicud Eva audivit, que nos eidem exactori ad solvendum peccata obligavit, dum ei primam exaccionem fructum vetitum commedendo persolvit. Sequatur ergo ecclesia non Evam sed Elizabeth conculcando dyabolum et suos, non exaudiendo eos ad peccandum, et faciat sicud illa de qua adhuc canitur: O quam dignis fulges signis/ vasa rapis a malignis/ possessa demoniis.<sup>31</sup> Et hoc quantum ad primum.

<III.2> Secundo dixi, quod in verbis premissis tangitur sancte Elizabeth sive ecclesie destitucionis orbitas iam sublata, cum dicitur: *et vidua non sum*. [Ecclesiam dixi] esse animam viduam, que dyabolum duxit in virum [et] non esse sponsam Christi summi sacerdotis, de quo dicitur, Levit. 21. (14), quod summus {259rb} sacerdos viduam non ducet. Talis vidua non fuit beata Elizabeth, quia dyabolum in virum non assumpsit post baptismum, sed in castitate fidei Christo coniuncta permansit; ideo potest dicere *vidua non sum*. Nos autem, prochdolor, qui consentimus dyabolo in peccando, *pupilli facti sumus sine patre, matres nostre vidue* (Tren. 5, 3).<sup>32</sup> Dyabolus enim, qui ut *leo cum leunculis suis*, omnibus tyrannis, hereticis et hypocritis, *didicit tales viduas facere*, sicut dicitur Ezechielis 19. (3-7) significative; unde ecclesia sancta in membris suis *facta est quasi vidua domina gencium*, ut figurative innuitur Trenorum primo (1, 1). Et hoc, quia opprimitur nullo iuvante, et Deo ipsam ad tempus, propter peccata eius, que in membris suis futuris habet, deserente spiritu. Aliter enim accipiendo, tunc multi prelati sunt ita superbi, ut nolint opera pietatis facere, sicud superbe vidue corporalia pietatis opera facere aspernantur, et per hoc a Christo deseruntur; de quibus dicit sanctus Augustinus de viduis in libro de vita christiana, versus finem: Illa vero se quomodo viduam Christi dicit, que nichil [tale] aliquando operata est? Sed sunt aliique divites,

---

<sup>28</sup> Rhymed office *Laetare Germania*, third nocturn, second responsory, AH, vol 25, no. 90, p. 255.

<sup>29</sup> Ibid., first nocturn, third responsory, p. 254.

<sup>30</sup> Ibid., second vespers, p. 256.

<sup>31</sup> Mass-sequence *Gaude Sion* (RH, no. 6958), ed. in D. HENNIGES, *Die hl. Messe zu ehren der hl. Elisabeth*, in *Franziskanische Studien*, 9 (1922), pp. 158-171, on p. 169.

<sup>32</sup> Vulg.: “Pupilli facti sumus *absque* patre, matres nostrae *quasi* viduae”.

nobiles et potentes, quibus forsitan videtur indignum, ut aut filios Deo et non seculo [educent] aut hospicio recipient alienigenam, aut sanctorum pedes laboriosos, lutulentos et horridos delicatis et nitidis manibus tangant. Sed nec digne erunt tales in futuro tempore sanctorum esse consortes, {259va} quos ita in presenti spreverunt; nec partem habere poterunt cum Christo, quem suscipere noluerunt, et eius plantas suis contrectare manibus horruerunt: Christum spernit, quicumque suos famulos spernit; sicut ipse dixit, Qui vos spernit, me spernit. Marie, unde Christi pedes lavaret, lacrime habundarunt: nostri autem temporis feminis, ut peregrinorum lavent pedes, ipsa deficit aqua. Tu ergo, sanctissima et prudentissima femina, ne velis imitari huiusmodi, que cum audenter male ficerint, benefacere erubescunt, et confunduntur iuste vivere, que peccare non confuse sunt, et que se morti ulti obtulerunt, nec invitare revertuntur ad vitam; que hominum magis risus, subsanaciones et fabulas, quam Dei iudicium pertimescunt, et quibus carius est miseris hominibus placere quam Christo. Hec Augustinus.<sup>33</sup> Ecce caveant sibi vidue spirituales, ne Christum virum suum perdant, dum pedes Christi, id est pauperes et peccatores, non lavant lacrimis, nec peccata nec indigencias eorum luctu et elemosinis abstergendo, quia deficit eis aqua gracie salutaris. Ed ideo contrahunt multi ex eis secundas nupcias, dum post primum virum, Christum videlicet, cum mundo, carne et dyabolo per peccatum contrahunt. Si dampnabile est hoc in feminis carnalibus, quando sine causa racionabili migrant ad secundas nupcias, quanto magis in feminis spiritualibus, {259vb} que cum viro Christo spirituales filios generare deberent. Sicut dicit Ambrosius libro primo de viduis, parte quarta, contra illam que perdidit filios et querit eos: nonne iterum passura est quod repetit, et ad ipsos votorum tumultus, exceptarum orbitatum imagines, lamentorum strepitus perhorrescit? nonne pompe funebris exequias magis putat, quam thalamum preparari? Cur igitur, filia, dolores magis, quos times, repetis, quam filios, quos iam non speras, requiris?<sup>34</sup> Et addit contra illam, que habet proprios filios et vult contrahere: Cur heredes queris extraneos, cum habeas tuos? Erit molesta pietas, ut amare liberos erubescas, atque inde oriatur causa discordie, unde solet mutuus amor mulcere affectus parentum. Generare filios vis non fratres futuros tuorum, sed adversarios filiorum. Quid est ergo generare alios liberos, nisi spoliare quos habes liberos, quibus pariter afferuntur et pietatis officia et compendia facultatum? De Adam et Eva dictum est: *Et erunt duo in carne una* (Gen. 2, 24). Non hoc de secundis, sed primis nupciis dictum est; neque Ewa secundum accepit virum. Sacramentum hoc magnum est in Christo et ecclesia. Nec Ysaac aliam, quam Rebecam scivit uxorem, neque Abraham patrem nisi cum Sara sepelivit uxore; in Rachel

<sup>33</sup> PSEUDO-AUGUSTINE, *Liber de vita christiana*, 15, PL, vol. 40, col. 1046.

<sup>34</sup> AMBROSE, *De viduis*, 15, 87.

magis {260ra} figura misterii fuit, quam ordo coniugii.<sup>35</sup> Hoc tamen consultit, non precipit, videlicet a secundis nupciis abstinere, dicens ibidem, parte tercia: hoc tamen pro consilio dicimus, non pro precepto imperamus, provocantes pocius viduam, quam ligantes. Neque enim prohibemus secundas nupcias, sed non swademus. Alia est enim infirmitatis consideracio, alia gracia castitatis. Plus dico, non prohibemus secundas nupcias non approbamus sepius repetitas; neque enim quidquid licet expedit: *Omnia mihi licent, sed non omnia expedient* (I Cor 6, 12), sed non omnia sunt utilia. Et vinum bibere licet, sed plurimum non decet. Et licet ergo nubere, sed est pulchrius abstinere.<sup>36</sup> Sed dices, nonne apostolus dicit: *volo adolescentiores viduas nubere* (I Tim. 5, 14)?<sup>37</sup> Ad hoc respondet beatus Ambrosius ibidem, parte prima dicens: sani doctoris est, materiam arcere peccati. Prima enim institutionis est disciplina culpam avertere, secunda virtutem infundere. Tamen scivit apostolus Annam octogenariam viduam dominicorum preceptorum extitisse primiciam, non puto quod iuvenes revocandas putaret a viduitate maxime cum dixerit: *Melius est nubere, quam uri* (I Cor. 7, 9). Pro remedio nupcias swasit, ut peritura sanetur: non pro eleccione prescripsit; aliud est subvenire labenti, aliud swadere virtutem.<sup>38</sup> {260rb} Et ideo dicit apostolus: *volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse*, hoc est enim domum regere, nullam causam dare adversario maledicti gracia, sicud subdit de quibusdam: *iam enim quedam erraverunt post Sathanan* (I Tim. 5, 14-15);<sup>39</sup> et subdit: melius est domus sue curam gerere, quam in aliena domo adulari, et magis expedit nubere, quam sub pia viduitatis professione cum nota sive infamia vivere.<sup>40</sup> Unde Ieronimus ad Furiam: si evenerit, ut de secundo marito habeas filios, domestica pugna, intestinum prelum. Non licebit tibi amare liberos, nec aspicere quos genuisti. Clam porriges cibos, invidebitur mortuo et, nisi oderis filios, adhuc eorum amare videberis patrem. Quodsi maritus de priori uxore habens sobolem te domum introduxerit, si privignus langwet et dolet caput, infamaberis ut benefica. Si non dederis, crudelis, si dederis, malefica diceris.<sup>41</sup> Caveat ergo anima christiana, sponsa Christi vel prelati, ne generando filios carnales mundo vel dyabolo per peccatum in eternum repudietur a Christo, et orbetur regno eterno. Quia ergo beata Elizabet [aspernando] seculum,

<sup>35</sup> Ibid., 15, 88-90.

<sup>36</sup> Ibid., 11, 68-69.

<sup>37</sup> Cf. I. Tim. 5, 11: “*adulescentiores autem viduas devita, cum enim luxuriatae fuerint in Christo, nubere volunt*”; I. Tim. 5, 14: “*volo ergo iuniores nubere*”. The contamination of the two passages is already present in JEROME, *Adversus Iovinianum* I, 5, ed. cit., col. 217B: “audiant Paulum loquentem: *Adolescentiores viduas volo nubere*”, which may have inspired the form of the citation here in our text.

<sup>38</sup> AMBROSE, *De viduis*, 2, 12.

<sup>39</sup> Vulg.: “*Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia. Iam enim quaedam conversae sunt retro Satanam*”.

<sup>40</sup> AMBROSIASTER, *Commentarius* cit., p. 283.

<sup>41</sup> JEROME, *Epistulae*, 54, 15.

/ generosi sangwinis / tytulum parvipendit,<sup>42</sup> superbiam conculcavit. Ideo quanto sese deprimebat eius humilis nobilitas, tanto magis per Christum exaltabatur eius nobilis humilitas, {260va} ut de stercoribus et squaloribus et fetoribus pauperum ad eternas divicias et de hospitali ad celeste hospicium, ut regina necnon vidua sumeretur. Ipsa enim celeste regnum ambiens / hoc presens omne respuit / fide grandi, spe secura / manum mittens ad futura.<sup>43</sup> Ubi recte nunc dicit *vidua non sum*, dum Christo sponso potitur, quia hic post virum Christum, vel proprium virum, alium non quesivit. Et hoc quantum ad secundum.

<III.3> Tercio dixi, quod in verbis premissis tangitur eterne pene acerbitas relegata. Beata enim Elyzabeth fuit quasi turtur, de quo dicunt naturales, quod amisso compare stat in hyeme in nido, in estate vero transit ad loca frigida. Sic beata Elizabeth in hac vita quasi Christo privata, dum non vidit eum facie ad faciem, in hyeme huius vite stetit in nido ecclesie sancte gemens. Ideo nunc evasit penas omnis peccati, acerbitas penalitatis est ab ipsa procul relegata in exilium inferni, quia nunc in refrigerio est vite eterne. Discant sic femine, et carnales et spirituales, omnem huius turturis pudiciciam observare, quia abhominabile est feminam esse sine pudicicia. Sicud dicit Augustinus, de 12 abusionibus, capitulo primo: quintus gradus abusionis est femina sine pudicicia. Sicud enim omnes bonos mores procurat et custodit in viris prudencia, sic et in femina {260vb} cunctos honestos actus fovet et nutrit et custodit pudicicia. Pudicicia namque habet castitatem, avariciam refrenat, lites devitat, iram mitigat, libidinem occupat, cupiditatem temperat, lasciviam castigat, ebrietatem cavet, verba non multiplicat, gule concupiscencias purgat, furtum omnino dampnat. Quid plura? Omnia vicia restringit; et omnes virtutes, et quidquid coram Deo et bonis hominibus laudabile est nutrit. In pudica namque vita nec laudem ab hominibus in presenti seculo, nec remuneracionem a Deo expectat in futuro. Pudica vero vita, famam bonam inter homines [habet], et de spe future beatitudinis gaudet; presentibus semetipsam imitabilem facit, posteris memoriam amabilem relinquit. Bonis semper moribus delectatur et consentit, et in assiduis scripturarum meditacionibus et eloquiis animam figit. Bonorum precedencium exempla custodit, et inseparabilia perfectis contubernia nectit. Duobus ergo modis constat vere pudicicie exercitacio, id est corporis habitu et superficie et animi affectu interno. Per exteriorem, iuxta apostolum, *coram hominibus* exempla, per interiorem coram Deo *providemus bona opera* (II Cor 8, 21).<sup>44</sup> Pudicicia namque corporis est, alienas res non appetere, animi inmundiciam

---

<sup>42</sup> Rhymed office *Laetare Germania*, second nocturn, first responsory, AH, vol 25, no. 90, p. 254.

<sup>43</sup> Ibid., second responsory, p. 255.

<sup>44</sup> Vulg.: “Providemus enim bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus”.

devitare, ante horam congruam non gustare velle, risum {261ra} non excitare, verba vana et falsa non loqui; habitum per omnia ordinatum proporcionemque convenientem tam capillorum quam vestium, [sicut] decet, habere; cum indignis contubernia non inire; supercilioso intuitu neminem aspicere, vagari oculos non permettere; pompatico et illecebrosus gressu non incedere; nullo inferiori incepto bono opere apparere, nulli contumeliam aut ruborem incutere, neminem blasphemare, senes non irridere, minori non controversari; de hiis que ignoras, non contrectare, eciam ea quae scis non omnia proferre: hec vero proximis amabilem hominem reddunt, Deo acceptabilem faciunt. Pudicicia enim animi est, plus propter Dei oculos, quam hominum bona opera facere; appeticiones turpium cogitationum compescere; omnes meliores se estimare esse, nemini invidere; de semetipso nichil confidere, Dei semper auxilio res [omnes] committere, ante Dei oculos semetipsum constituere, heretica pravitate sensum non maculare, catholicis per omnia consentire; Deo soli adherere, castitatem interne mentis Deo Christo offerre; omnia cepta opera bona mortis tantum termino finire; presentes tribulaciones cum fortitudine negligere et parvipendere; in terra preter proximos nil amare, cuncti amoris thezaurum in celo constituere, et pro {261rb} omni bono actu mercedem a Deo in celestibus sperare. Pudicicia ornamentum nobilium est, exaltacio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo debilium, prosperitas laborancium, solamen iustorum, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, defensio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris Dei et omnium amica. Hec Augustinus.<sup>45</sup> Audistis condiciones vidue sancte, et spiritualiter ecclesia per viduas Iudith, Debbora, et viduam Helye sic figurata. Lugete nunc nostram viduam Syon sanctam, quia ab ipsa decor et fulgor speculi est depresso dum a vita ewangelica elongatur. Lugete, quia de regum sanctorum ramis nata in multis membris suis futuris nunc degenerat et famescit que in illis ramis Dei saturitas est vocata. Lugete, quia olym tot astris, sanctis, doctoribus illustrata in multis nunc patitur cecitatem, quia *draco cauda sua*, id est ultima temptatione, *traxit et misit in terram terciam partem stellarum*, id est doctorum, qui in fide et spe stantes a tercia parte, id est a caritate, *de celo*, id est celesti vita, ceciderunt in terram, id est amorem terrene cupiditatis (Apoc. 12, 4),<sup>46</sup> olym hec *mulier sole* veritatis erat *amicta* (Apoc. 12, 1), nunc prochdolor *sub* Leviathan *radii solis* iacent (Iob 41, 21), quia dyabolus eciam doctores aut adversis aut prosperis sibi subdit. O quam dignis quondam signis in sanctis patribus prefulgebat, ut fortem dyabolum alligans vasa Dei electa ab ipsius raperet potestate, nunc autem vasa {261va} templi de Iherusalem rapiens abducit dyabolus in

---

<sup>45</sup> PSEUDO-CYPRIAN, *De duodecim abusionibus saeculi tractatus*, 5, PL, vol. 4, cols. 873B-874B.

<sup>46</sup> Vulg.: “et cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum caeli, et misit eas in terram”.

Babylonem inferni.<sup>47</sup> Quid ergo faciet hec vidua sancta, nisi ut accipiat gladium verbi Dei, et caput amputet Olofernus, et sic populum Dei liberet a fame et periculo vite, nec dubitet, quia quod cursu nature sibi negatur, hoc potest agere gracia et virtute, et si non signis corporalibus, tamen spiritualibus, que sunt meliora, ut omnium virtutum fulgor ablatus luce redeat rediviva, ut sic iam in fine seculi, o, revocetur ad A[dam] finis noster, ad principium patrum, ut quia illi inceperunt victoriam per eum, qui est principium omnium, nos finem obtineamus triumphi per eum, qui est finis omnium, maxime quia et illi patres sancti una cum angelis invisibiliter nobis semper assistunt. Non est enim abbreviata manus Domini quin nos adiuvet. Ideo pro veritate pugnemus, ut patres nostri fecerunt, ut refulgeat in nobis virtus patrum, iuxta illud, quod scribitur Osee 9. (10) *quasi uvas in deserto inveni Israhel, quasi prima poma ficulnee in cacumine eius vidi patres eorum.* Ut sic nunc possit non vidua iam, sed sponsa Syon sancta ecclesia Christo dicere: *omnia poma, id est sanctos, nova et vetera dilecte mi servavi tibi* (Cant. 7, 13). Ut sic nos extremos addat primis et infimos illis in cacumine prematuris, et nos poma ultima sequi possumus poma prima sanctos videlicet primitivos, ad quos nos perducat, qui vivit et regnat Deus in secula seculorum. Amen.

---

<sup>47</sup> Mass-sequence *Gaude Sion* (RH, no. 6958), ed. HENNIGES, *Die hl. Messe*, p. 169.